C. JULIUS CAESAR
num in bello gallico enarrando nonnulla e fontibus transscripserit.

Von

Dr. Petersdorff,

Oberlehrer am Gymnasium in Belgard.

Beilage zum Programm des Gymnasiums
Ostern 1879.

1879. Progr. Nr. 101.

Belgard,
Druck von Gustav Klemp.

I.

Caesaris de bello civili commentarios aut aliquot eorum particulas non a Caesare esse scriptas, cum iam complures viri docti probaverint aut probasse sibi videantur[1]), commentarios quoque de bello gallico a Caesare scriptos accuratius pervestigare operae pretium esse arbitror. Quos commentarios identidem legenti mihi ei loci maximi momenti esse videbantur, quibus res non a Caesare, sed a legatis eius gestae uberrime tractantur. Tales vero loci sunt III, c. 1, 4—c. 6, c. 17—c. 19, 5, c. 20—27. V, c. 26—37, c. 38—45, c. 48, 8—c. 49, 4, c. 55—58. VI, c. 7 et 8, c. 35—41. VII, c. 57—62. Quos locos cum perscrutarer, quod tam multa inveni, quae a Caesaris scribendi genere valde abhorrent, summa affectus sum admiratione. Neque facere possum, quin ea quae offendant in prima huius quaestionis parte congeram congestaque in altera parte aliis argumentis illustrem.

1. Caesar, de bello gallico III, c. 1, 4—c. 6.

Cap. 2, 1. Cum dies hibernorum complures transissent, frumentumque eo comportari iussisset: Quod verbo hibernorum notio temporis non subiecta est, propterea „dies hibernorum" in Caesaris scriptis nisi hoc loco non reperitur.[2]) Huc accedit, ut verbum transeundi a Caesare nusquam alibi de tempore usurpetur.[3])

Ibid. 2. ut subito Galli belli renovandi legionisque opprimendae consilium caperent: Hoc uno loco Caesar „consilium capere" cum gerundivo coniungit, ceteris vero locis (bel. gal. VII, 26, 1 et 71, 1) cum infinitivo. (Cf. Eichert, Vollständiges Wörterbuch zu den Schriftwerken des C. Julius Caesar ad h. v. Raphael Kühner, Ausführliche Grammatik der latein. Sprache II. Bd. I. Abtheilung p. 555. Draeger, Historische Syntax der lateinischen Sprache II. Bd. p. 307.)

---

[1]) Heidtmann, Haben wir ausreichende etc., in libello Gym. Essen. a. 1867 tres commentarios de bello civili ex maiore opere, non a Caesare scripto, esse contractos, multis argumentis demonstrare conatur.

Wutke, Quaestiones Caesarianae, in libello Gym. Nissensi a. 1872, sententiam Heidtmanni secutus, quantopere commentarii de bello gallico a commentariis de bello civili discrepent, aliquot argumentis ex genere dicendi petitis ostendit.

Menge, De auctoribus commentariorum de bello civili, qui Caesaris nomine feruntur, in libello Gym. Vimar. a. 1873 exposuit, de bello civili commentarii alterius capita 1, 4—4 et 8—16 certe non a Caesare, sed a Trebonio scripta esse.

Dinter, Quaestiones Caesarianae, in commentatione annalibus scholae Regiae Grimmensis a. 1876 addita p. 32—36 argumentis probavit, de bello civili commentarii tertii capita 108—112 ab Caesaris genere scribendi aliena esse, non abhorrere ab Hirtii consuetudine. Itaque hunc illa capita scripsisse Dinter existimat.

[2]) Cf. Schneider (Commentarii de bellis C. Julii Caesaris. Pars I. et II. Halis 1840 et 1849—55) ad h. l.: „quo modo Hirtius VIII, 50 hibernis peractis dixit. Quod autem sequitur „eo", ita positum est, ut si castra ipsa essent."

[3]) In bel. civ. III, 25, 1 non „menses transierant", ut vult Oudendorpius (C. Julii Caesaris commentarii etc. Tom. I. et II. Stutgardiae 1822) sed .. „erant" legendum esse, recte Nipperdey (C. Julii Caesaris commentarii etc. Lipsiae 1847) et Dübner (C. Julii Caesaris comment. annot. crit. instruxit. Paris. 1857 2 Voll.) ex codicibus optimis perscrutati sunt.

Ibid. 5. culmina Alpium: Culmen est ἅπαξ εἰρημένον Caesarianum. (Cf. Eichert ad h. v.)

Ibid. 5. sibi persuasum habebant: Si bonus scriptor vetus hac locutione usus esset, pronomen „sibi“ eum non adiuncturum fuisse constat. Kraner in editione sua recte confirmat: „sibi persuasum habebant. Die einzige Stelle eines mustergültigen Schriftstellers, in der diese Wendung vorkommt.“ Cf. Herzog (C. Julii Caesaris commentariorum de bello gallico libri VIII. Leipzig 1831) et Schneider ad h. l.

Cap. 3, 1. cum opus hibernorum munitionesque plenae (plene) essent perfectae: Ut taceam de insolita compositione verborum „opus hibernorum munitionesque“, hoc unum animadverti volo, et adiectivum „plenae“ et adverbium „plene“ hoc loco valde offendere. Quam inepte „plenae“,[1]) coniunctum sit cum verbo perficiendi, planius exponere me non opus est, praesertim cum optimus quisque editor offensionem illam non solum viderit, verum etiam tollere conatus sit.[2]) Posuisse editores fere ad unum omnes pro adiectivo „plenae“ adverbium „plene“, quin commemorem, facere non possum. Sed adverbium „plene“ nihilne habet hoc loco offensionis? Tota locutio „plene perficere“ num usitatissima est? Semel quidem in Ciceronis libro de divin. II, 1, § 3 legi: „Quae (eius loci quaestio) ut plene esset cumulateque perfecta“ silentio praeterire nolo. Sed pro „plene“ illo Ciceronis loco a quibusdam codicibus „plane“ poni, cum iam Schneider recte affirmat (cf. Schneider ad bel. gal. III, 3), tum non modo locutionem illam „plene perficere“, sed ne adverbium „plene“ quidem alibi in libris Caesaris reperiri maximi momenti est. (Cf. Eichert ad h. v.)[3])

Ibid. 3. „iisdem itineribus . . . ad salutem contendere“ nisi hoc loco nusquam in scriptis Caesaris legitur. (Cf. bel. gal. III, c. 15, c. 26. Bel. civ. II, 32. III, 69, 97. Bel. gal. I, c. 53.) Cf. Schneider ad h. l.: „Post verba tamen iisdem itineribus, quae haud dubie proprie dicta sunt, fatendum est, praeter opinionem inferri metaphoricam dictionem (ad salutem contendere), magisque exspectari potuisse fuga salutem peterent, cuius verbi turpitudinem nescio an istos, quorum haec sententia fuit, sic evitantes fecerit scriptor.“

Cap. 4, 1. ut rebus . . . collocandis atque administrandis tempus daretur: Hic locus duabus de causis valde offendit. Et verbum collocandi (nec minus colloquendi, ut in nonnullis codicibus legitur) hic prorsus inepte intextum est,[4]) et dictio „tempus dare“ cum dativo gerundivi praeter consuetudinem Caesaris coniungitur, quem scripturum fuisse sic arbitror: „ut ad res collocandas tempus daretur“ vel „ut res collocandi causa tempus daretur“, vel „ut tempus daretur, quo res collocarent.“[5])

---

[1]) Scriptura codicis Bongarsiani et Vossiani I; cf. Nipperdey, Quaestiones Caesarianae p. 39 et p. 252. Dinter, in progr. cit. p. 3.

[2]) Cf. h. l. apud Oudendorpium, Schneiderum, Nipperdeium, Frigellum (C. Julii Caesaris de bello gallico etc. Upsalae 1861), Dübnerum.

[3]) Equidem vero, si mihi ad illum locum aliquid conicere liceat, recte sic scribendum esse putem: „cum neque opus hibernorum munitionesque plenae essent et perfectae, neque“ etc. Quoniam tali modo participium „perfectae“ in adiectivi formam est redactum, omnem offensionem sublatam esse intellexeris. Quae duo adiectiva „plenus et perfectus“ et in libris Caesaris saepissime leguntur, et a Cicerone saepius sunt composita. (Cf. Eichert ad v. „plenus“ et „perfectus“, praeterea Cic. de fin. IV, 4: perfecta et plena sententia, Cic. or. I, 13 extr.: oratorem plenum atque perfectum esse dicam . . „ cf. Cornif. II, 20: perfecta et plena argumentatio. Sed quamdiu haec coniectura a me facta a viris doctis non est probata, tamdiu locum illum, de quo verba feci, sive „plenae“, sive „plene“ praefers, a Caesaris genere dicendi valde abhorrere contendo.

[4]) Cf. Herzog et Schneider ad h. l. Haec compositio verborum praeter hunc locum in scriptis, qui Caesaris nomine feruntur, nusquam tibi occurret. Cf. bel. alexandr. c. 33. Draeger l. c. II, p. 804.

[5]) Sententia Fischeri (Die Rectionslehre bei Cäsar I et II in libello Gym. Hallensis a. 1853 et a. 1854.) I, p. 26: „Dative mit dem Gerundiv. verbundener Substantiva zur Bezeichnung einer Bestimmung werden nicht gebraucht“, praeter hunc locum, quem Fischer praeteriit, recta est.

Ibid. 2. gaesa: Huius teli gallici Caesar nisi hoc loco nusquam mentionem fecit, quamquam tot tantaque bella gallica satis diligenter accurateque narravit. (Cf. Eichert ad h. v.) Illo vocabulo scriptores utriusque linguae saepius usos esse, ex Schneideri interpretatione intelleges. Praeterea conferatur Forcellini (Totius latinitatis lexicon) sub h. v.

Ibid. 4. ac non modo defesso ex pugna excedendi, sed ne saucio quidem ... facultas dabatur: „Non modo ..., sed ne .. quidem" hoc loco recte quidem positum est (cf. Zumpt § 324 b) et Schultz § 202 Adnotat. 1), sed nusquam alibi in libris a Caesare scriptis invenies, at vero saepius „non modo non .., sed ne .. quidem." (Cf. bel. gal. I, c. 16. II, c. 17. V, c. 43.) Nullius est ponderis, II, c. 17 ab aliquot codicibus deterioribus alteram negationem falso esse omissam. Cf. Nipperdey, Frigell (Collatio librorum scriptorum et editorum. Upsalae 1861.), Dübner ad h. l., Draeger, Historische Syntax der lateinischen Sprache II. Bd. p. 104.

Ibid. 5, 1. resque esset iam ad extremum perducta casum: Haec dictio nisi hoc loco in Caesaris scriptis nusquam legitur. In libro de bel. alex. scripto semel similis locutio „ad extremum casum periculi ... deducti" posita est. (Cf. bel. alex. c. 7 et Herzog ad bel. gal. III, c. 5: „Diese Formel steht hier zum ersten Male.")

Ibid. cum ... tela nostris deficerent: Cum in omnibus codicibus dativus „nostris" legatur, fieri non potest, ut Frigello ac Dübnero auctoribus, dativo propter communem usum una cum recentioribus criticis accusativum „nostros" praeferamus; sed offensio illa alio modo tollenda esse mihi videtur. Cf. Dübner ad h. l. et Fischer in progr. cit. I, p. 7, qui, sedecim locis citatis, quibus „deficere" a Caesare cum accusativo coniunctum est, pergit: „Nur an einer Stelle mit dem Dativ B. G. III, 5."

Cap. 5, 3. ex castris erumperent: Verbum erumpendi Caesar alibi cum praepositione „ex" non coniunxit. Fischer in progr. cit. I, p. 37 affirmat: „erumpo gewöhnlich mit dem Ablativ B. C. II, 14. III, 44; ein Mal mit ex B. G. III, 5 ex castris."

2. Bel. gal. III, c. 17—c. 19, 5.

Cap. 17, 5. Cum ... contra eum duum milium spatio consedisset: Genetivus „duum" pro „duorum"[1]) nusquam alibi a Caesare adhibetur. Cf. Neue, Formenlehre der lat. Sprache II, p. 145. Fischer in progr. cit. II, p. 22: „Die Nebenform des Genetivs von duo ... findet sich in Verbindung mit milium B. G. III, 17. B. Afr. 70. 75."

Ibid. 6. „nonnihil" in libris a Caesare scriptis nisi hoc loco nusquam tibi occurret. (Cf. Eichert a. h. v.)

Cap. 18, 7. non prius ... duces ex concilio dimittunt, quam ab his sit concessum: Conferas velim, quae ad V, c. 58, 4 de huius periodi consecutione temporum disputavi.

Ibid. 8. „sarmentis", paulo post „pergunt": Haec duo vocabula in libris Caesaris nisi hoc loco non inveniuntur. (Cf. Eichert ad h. v.)

Cap. 19, 3. defatigatione (defetigatione): Hoc vocabulum ἅπαξ λεγόμενον Caesarianum esse, ex Eicherto perspicies.

Ibid. 4. qui ex fuga evaserant: Non modo dictum „ex fuga evadere", sed ne verbum solum quidem „evadere" a Caesare esse adhibitum, legas apud Fischerum in progr. cit. I, p. 4 d. et Eichertum sub verb. evad.

---

[1]) „Duorum" ab uno codice, Leidensi primo, traditum esse, silentio praeterire nolim. Sed quam non ille codex habeat auctoritatem, praesertim cum ceteri codices ad unum omnes consentiant, ex Nipperdei Quaestionibus Caesarianis facile intelleges. Cf. p. 43: „Hic (Leidensis primus) bonitate reliquis huius generis (interpolatae familiae) inferior est" etc.

3. Bel. gal. III, c. 20—27.

Cap. 20, 4. in convalle: Praeter hunc locum „convallis" legitur bel. gal. V, 32, 2: sed in capitibus 26—37 quinti libri res a legato gestas describi respiciendum est.

Cap. 21, 1. adulescentulo: Hoc deminutivum hoc uno loco apud Caesarem usurpatum reperimus, cum bel. afric., ubi in cap. 22 idem vocabulum adhibitum est, non a Caesare sit scriptum.

Ibid. hostes terga vertere: Cum fieri non possit, ut „vertere" hic sit infinitivus historicus (cf. Kraner et Schneider ad h. l.), restat, ut sit III pers. pl. perf., quae forma in Caesaris scriptis raro legitur, et si infinitivo praesentis, ut nostro loco, par est, iterum non reperitur. (Cf. bel. gal. I, 25 circumvenere; bel. civ. I, 51, 5 sustinuere, III, 63, 6 accessere.) Quapropter complures codices recentiores pro „vertere" posuerunt „verterunt." (Cf. Schneider, Nipperdey, Dübner ad h. l.)

Cap. 22, 1. in ea re intentis animis: Adiectivum „intentus" in scriptis Caesaris praeter hunc locum nunquam coniungitur cum praepositione „in" et ablativo, sed cum praepositione „ad" vel „in" cum accusativo, vel post Livium cum dativo. (Cf. Kraner et Herzog ad h. l. et Kühner l. c. II. Bd., I. Abth. § 76 Anmerkg. 2.)

Ibid . . . soldurios: Hoc vocabulum alibi apud Caesarem frustra inquires. (Cf. Eichert ad h. v.)

Ibid. 2. commodis fruantur: Nonne mirum est, hoc verbum usitatissimum fruendi a Caesare hoc uno loco adhibitum esse! (Cf. Fischer l. c. I, p. 40 et Eichert ad h. v.)

Ibid. 3. „hominum memoria" „bei Menschengedenken" (cf. Eichert) non alio loco in Caesaris scriptis reperies.

Ibid. qui . . . mori recusaret: Verbum recusandi Caesar ceteris locis connectit cum coniunctione. (Cf. bel. gal. I, 31, 7 quominus, IV, 7 et civ. III, 45 quin, civ. III, 82 ne.)[1]

Cap. 23, 7. Quod ubi Crassus animadvertit, suas copias . . . non facile deduci: Usus dicendi „quod ubi", in quo inest notio „als nun, sobald nun", praeter hunc locum in scriptis, qui nomine Caesaris feruntur, semel invenitur bel. civ. II, 16, quem locum Caesari non attribuendum esse, Menge in progr. cit. probavit. De his duobus locis Schneider ad III, 23, § 7 fusius disputavit.

Ibid. non cunctandum existimavit, quin: Coniunctionem „quin" verbo „(non) cunctandi" in scriptis Caesaris hoc solo loco adiunctam esse, ex Prockschi l. c. p. 7 perspicies.

Cap. 24, 1. auxiliis in mediam aciem coniectis: Simili in locutione Caesar pro verbo coniciendi ponere solet collocandi vel aliud dictum. Recte igitur affirmat Kraner ad h. l.: „Conicere kann hier weder den Begriff der Eile, noch die Nebenbedeutung des Verächtlichen haben, sondern ist ohne wesentlichen Unterschied von collocare gebraucht." (Cf. Herzog et Schneider ad h. l.) Qua re factum est, ut multi codices recentiores pro „coniectis" posuerint „collectis" vel, aeque ac primae editiones, „collocatis." (Cf. Dübner ad h. l.)

Ibid. 5. cunctatio: Hoc vocabulum in libris Caesaris bis positum reperies, praeter hunc locum bel. gal. III, c. 18, in quo capite res a legato gestas narrari iam supra ostendimus.

Ibid. exspectari diutius non oportere, quin: Ut antea III, 23, 7 „non cunctari", ita hic „exspectare" nisi uno loco in Caesaris scriptis cum coniunctione „quin" non coniunctum est. (Cf. Procksch l. c. p. 7.)

---

[1]) Procksch, Gebrauch der Nebensätze bei Caesar. Bautzen 1870 p. 19: „recuso mit quin, ne, quominus; mit dem Infinit. Gal. III, 22, 3." „Mortem" pro „mori", quod sex codices recentiores substituerunt (cf. Dübner), iam a Schneidero recte sic repudiatum est: „mortem vel variandi vel purgandi et cum reliquis locis in concordiam redigendi sermonis causa illatam a critico aliquo suspicor." Cf. Draeger l. c. II. p. 323.

Cap. 26, 2. quae (cohortes) intritae ab labore erant: Nec participium „intritus", nec alia forma verbi „intero" in Caesaris operibus est adhibita. (Cf. Kraner ad h. l.: „intritae = non tritae, ungeschwächt integrae, nur hier bei Caes." Idem docent Eichert et Fischer l. c. I. p. 27. De discrepantia singulorum codicum vide Schneiderum, Nipperdeium, Dübnerum, Frigelli collationem.

Ibid. 5. acrius impugnare coeperunt: Verbum impugnandi absolute hoc uno loco apud Caesarem reperitur. (Cf. Eichert et Kraner sub h. v.)

Ibid. fuga salutem petere intenderunt: Verbum intendendi hic insolenter est positum, cum Caesar simili significatione aliud verbum adhibuerit, ut simillimum contendendi. quod pauci codices recentiores re vera substituerunt. (Cf. Dübner l. c.)

4. Bel. gal. V, c. 26—37.

Cap. 26, 2... lignatoribus: Hoc vocabulum non iterum tibi in Caesaris scriptis occurret. (Cf. Eichert ad h. v.; positum est a Livio X, 25.)

Ibid. 4. uti aliqui ex nostris ad colloquium prodiret: Hoc uno loco „aliqui" fungitur vice substantivi nominis, ceteris adiectivi. Non recte fecerunt Herzog et Kraner, qui „prodirent" substituerunt, ac si „aliqui" hoc loco esset pluralis numerus, cum in omnibus codicibus vetustioribus legatur singularis „prodiret." (Cf. Schneider, Nipperdey, Frigell, Dübner. Neue l. c. II, p. 236.)

Cap. 27, 1. Quintus Iunius ex Hispania quidam: Est dictum praeter Caesaris nec minus praeter omnium bonorum scriptorum consuetudinem, qui pro praepositione „ex" cum patriae nomine coniuncta ponere solent adiectivum. Qua locutione inusitata nisi hoc uno loco Caesarem nusquam esse usum, Fischer l. c. I, p. 49. affirmat: „Nur einmal ist ex gesetzt . . . B. G. V, 27."

Ibid. 3. coactu civitatis: Neque ablativus „coactu", neque alius casus huius vocabuli in Caesaris scriptis praeter hunc locum invenitur. (Cf. Eichert ad h. v.)

Ibid. 4. porro: ἅπαξ εἰρημένον Caesarianum. (Cf. Eichert ad h. v.)

Ibid. 5. alterae legioni subsidio venire: Cum omnes codices vetustiores atque ipsae editiones antiquissimae formam habeant „alterae" (cf. Dübner), non licet substituere „alteri." Ceteris vero locis Caesar utitur dativo „alteri", etiamsi sit dativus feminini generis, ut bel. civ. II, 31 et civ. III, 89, 1. (Cf. Kühner l. c. I, p. 411 g.)

Ibid. 7. pro pietate: Vocabulum „pietas" apud alios scriptores usitatissimum in Caesaris scriptis hoc uno loco legimus. (Cf. Eichert ad h. v.)

Cap. 28, 4. quantasvis copias: „Quantusvis" a Caesare alio loco esse repudiatum, Eichert ad h. v. testatur.

Cap. 30, 2. hi sapient: Verbum „sapere" in Caesaris scriptis tibi nusquam alibi occurret. (Cf. Eichert ad h. v.)

Ibid. 3. abs te: Praepositionem „abs" non iterum a Caesare usurpatam reperimus. (Cf. Fischer l. c. II, p. 7 et Eichert sub littera a.)

Ibid. 3. rationem reposcent: Non modo haec tota locutio, sed ne verbum reposcendi quidem a Caesare alibi adhibitum est. (Cf. Fischer l. c. I, p. 6 et Eichert ad h. v.)

Ibid. perendino die: Adiectivum „perendinus" esse ἅπαξ λεγόμενον Caesarianum, ex Eicherto perspicies.

Ibid. relegati: Verbum „relegere" est ἅπαξ λεγ. Caes. (Cf. Eichert ad h. v.)

Cap. 31, 3. dat Cotta manus: Haec locutio „manus dare", quae in Germanicum versa notionem habeat: „sich ergeben, nachgeben", a Caesaris genere dicendi abhorret, qui saepissime verbis obtemperandi, cedendi aliisque eiusdem notionis usus est.

Ibid. 5. languore: ἅπαξ λεγ. Caes. (Cf. Eichert ad h. v.)

Cap. 32, 2. convallem: Conferas velim quae sub lib. III, 20, 4 ad hoc vocabulum dixi.

Cap. 33, 3. omnia per se obire: Verbum obeundi esse ἅπαξ εἰρημένον Caes., obtestatur Eichert ad h. v.

Ibid. 3. „in orbem consisterent" aeque atque in cap. 35, 1. „ex orbe excedere": Utramque locutionem in Caesaris scriptis iterum non invenies.

Ibid. 33, 3. pronuntiare ut: Cum Caesar verbum pronuntiandi alio loco coniungat cum accusativo cum infinitivo, etiamsi notionem habeat „bekannt machen, ausrufen" (cf. bel. gal. V, 51. et 56 civ. I, 19. II, 25. III, 53), his duobus capitibus 33 et 34 bis cum coniunctione „ut" et semel cum „ne" construit. (Cf. cap. 33, 3. cap. 34, 1. cap. 34, 3.)

Ibid. 4. incommode: ἅπαξ λεγόμεν. Caes. (Cf. Eichert ad h. v.)

Cap. 34, 1. pronuntiare iusserunt, ne: Conferas, quae antea ad cap. 33, 3. disputavi.

Ibid. 3. pronuntiare iubet, ut: Vide, quae ad cap. 38, 3. adnotavi.

Cap. 35, 2. velocissime: Adverbii velociter positivus ac comparativus gradus apud Caesarem non reperitur; neque superlativum nisi hoc loco Caesar posuit. (Cf. Eichert ad h. v.)

Ibid. 4. cum . . . sin autem: Haec constructio duabus de causis a Caesaris ratione scribendi discedit Primum hoc uno loco „sin autem", ceteris solum „sin" legitur. (Cf. bel. gal. I, 13, 4. civ. I, 1, 3 et I, 32, 7.) Deinde coniunctio „sin" hic posita est, quamquam „cum temporale" praecedit: ab optimis vero scriptoribus aeque atque a Caesare ceteris locis, quos antea citavi, coniunctio „sin" adhibetur, si enunciatum condicionale vel praecedit, vel cogitatione suppleri potest. (Cf. Procksch, l. c. p. 37.)

Ibid. 7. Quintus Lucanius, eiusdem ordinis, fortissime pugnans: Ad hunc locum recte Fischer (l. c. II, p. 34) adnotavit: „Aber nur als seltene Ausnahme wird ein qualitativer Genetiv für sich ohne Zusatz eines Gattungsnamens wie vir, homo als Apposition gefunden V, 35 Quintus Lucanius etc. Cicero gebraucht den Genetiv in dieser Weise nicht." Ablativus qualitatis quidem eadem ratione aliquotiens a Cicerone et Caesare positus est. (Cf. Caes. bel. gal. I, 18. II, 6. civ. III, 4.)

Cap. 37, 2. Interim dum de condicionibus . . . agunt: Coniunctioni „dum" praeter hunc locum nusquam a Caesare additum est „interim." (Cf. Procksch, l. c. p. 24.)

Ibid. 7. Pauci ex proelio elapsi: Verbum „elabi" hoc uno loco cum praepositione „ex" coniunctum esse, affirmat Hildebrand [1]), qui dicit: „Cäsar sagt ein Mal ex proelio elapsi B. G. V, 37, 7." (Praeterea conferatur Fischer l. c. I, p. 4 et II, p. 39.)

5. Bel. gal. V, c. 38—45.

Cap. 38, 1. neque noctem, neque diem intermittit: Haec duo substantiva hic insolenter esse composita, ostendit Fischer (l. c. I, p. 10) his verbis: „Die gewöhnliche Wortfolge der Phrase diem noctemque VII, 42, 77. B. C. I, 62 ist verändert V, 38."

Ibid. 4. se ad eam rem profitetur adiutorem: Haec compositio verborum a Caesaris more dicendi distat, quod verbum profitendi nullo alio loco coniunctum est cum pronomine reflexivo, cui substantivum est appositum; ceteris locis Caesar „profiteri" cum accusativo cum infinitivo construxit. (Cf. bel. gal. VII, 2, 1. VII, 37, 6: „cum se vel principes eius consilii fore profiterentur." Bel. civ. III, 19, 3.)

---

[1]) Hildebrand, Ueber einige Zeitwörter, welche bei Cicero, Caesar und Livius mit dem blossen Ablativ und den Präpositionen a, de, ex verbunden werden, in libell. Gymn. Tremonens. a. 1859, p. 13.

Cap. 39, 2. qui lignationis munitionisque causa in silvas discessissent: Vocabulum „lignatio“ esse ἅπαξ λεγόμενον Caes., ex Eicherto perspicies; aliis locis utitur Caesar verbo lignandi (bel. civ. III, 15 et 76), vel locutione, in qua lignum substantivum inest, (ut bel. civ. III, 15.) — Neque vocabulum „munitio“, quod hoc loco germanice interpretari debemus: „Befestigungsmaterial“ aut „Herbeiholung von Befestigungsmaterial“, in scriptis Caesaris hac notione alibi legitur, quamquam est usitatissimum. (Cf. Eichert ad h. v.)

Ibid. 4. Aegre is dies sustentatur: Haec dictio sine dubio offensioni est et abhorret a Caesaris genere scribendi. Conferatur bel. civ. II, 6, 1: eo die sustentatum est; bel. civ. III, 49: sustentare inopiam; bel. gal. VII, 17: sustentare famem; bel. gal. II, 14 „sustentare“ absolute positum est.

Cap. 40, 6. attexuntur: Verbum „attexere“ nisi hoc loco nusquam in Caesaris scriptis leges. (Cf. Eichert ad h. v.)

Cap. 41, 4. Addunt etiam de Sabini morte: Verbum addendi alio loco a Caesare hac significatione praegnanti „Mittheilung hinzufügen“ non est collocatum.

Ibid. 6. licere illis incolumibus... discedere: Verbo „licere“ duobus locis a Caesare additum est adiectivum, quod fungitur vicibus „praedicati“, praeter hunc locum bel. gal. VI, 35, 8. Quibus duobus locis res a Cicerone legato gestas fusius exponi, nonne tibi esse videtur, quod miremur! — Praeterea animum attendas velim ad casum illius adiectivi. Primo loco V, 41, 6. dativus „incolumibus“ auctoritate omnium codicum nititur, de altero vero loco VI, 35, 8. et codices et editores inter se dissentiunt. (Cf. Nipperdey, Frigell, Dübner.) Sed cum, Frigello ac Dübnero auctoribus, dativus VI, 35, 8. positus exstet in codicibus P. R. (i. e. in Parisino antiquo et Romano), quos optimos antiquissimosque primae classis codices esse et Frigell et Dübner affirmat, praeterea cum dativus, Nipperdeio auctore, reperiatur in codice Bongarsiano, quem Frigell et Dübner si non optimum, at certe meliorem primae classis putant, Nipperdey vero omnium praestantissimum appellat, facere non possum, quin lectionem dativi hoc loco accusativi praeferam. Quod si recte conieci, hoc loco VI, 35, 8. aeque atque V, 41, 6. in codice archetypo scriptum fuisse dativum adiectivi, quod praedicati loco cum verbo „licere“ coniunctum sit, concedes, hos duos locos, quippe quibus res non a Caesare sed a Cicerone legato gestae copiosius explicentur, eo pluris mihi fore ponderis. Praeterea in simili constructione bel. civ. III, 1, 1, ubi Caesar ea narrat, quae ipse gessit, verbo „licere“ additum esse accusativum substantivi, non praetereundum esse existimo. (Cf. Fischer l. c. I, p. 21.)

Ibid. 7. Cicero ad haec unum modo respondit: In hoc loco offendimus, quod post „unum“ Caesar addidit „modo“; conferas, quod Kraner ad h. l. adnotavit: „modo nur, was bei unus und überhaupt bei Zahlbegriffen (cf. bel. gal. I, 9, 1. und III, 17, 5.) gewöhnlich wegbleibt.“ Similiter Doberenz ad h. l.

Cap. 42, 1. Ab hac spe repulsi: Haec compositio verborum in scriptis Caesaris est inusitata. In reliquis exemplis, quae huc spectant, verbum fallendi a Caesare collocatum reperies. (Cf. bel. gal. II, 10. civ. III, 67, 86, 94, 96.) Uno loco (V, 55, 3.) legitur: „hac spe lapsus“; sed notandum est, ibi quoque res a legato gestas fuse narrari.

Ibid. 3. ferramentorum: ἅπαξ λεγόμ. Caes. (Cf. Eichert ad h. v.)

Ibid. cespites circumcidere: Verbum circumcidendi praeter hunc locum et praeter participium „circumcisus“ non leges in Caesaris scriptis; hoc vero participium (cf. VII, 36.) iam fungitur vicibus adiectivi, quod, si in Germanicum vertamus, notionem habeat: „steil.“

Ibid. sagulis: ἅπαξ εἰρημέν. Caes. (Cf. bel. afric. 57.)[1])

[1]) Ea vocabula, quorum usui alter locus ex Caesaris scriptis, alter vel plures loci ex supplementis in Eicherti lexic. citati sint, in Caesaris scriptis solum semel reperiri, Eichert me per litteras certiorem fecit.

Ibid. exhaurire: ἅπαξ λεγόμ. Caes. (Cf. Eichert ad h. v.) Quamquam alii scriptores hoc verbum adamaverant. (Cf. Forcellini, thesaurus et Freund, Wörterbuch ad h. v.)

Cap. 43, 1. fusili: Adiectivum fusilis est ἅπαξ εἰρημέν. Caes. (Cf. Eichert ad h. v.)

Ibid. argilla: ἅπαξ λεγόμ. Caes. (Cf. Eichert ad h. v.)

Ibid. „iacula", aeque ac V, 45, 4: Maximi mihi videtur esse momenti, hoc vocabulum bis a Caesare esse collocatum in hac parte commentariorum, in qua res a Cicerone legato gestae uberrime traduntur, sed alibi nusquam reperiri. Saepissime eadem notione Caesar usus est vocabulo „telum", (ut bel. gal. I, 8. 26. 46. II, 21. 27. III, 2. 4. 14. bel. civ. I, 26. 45. 46. III, 19. 44. 63. 86.), nonnunquam „pilum", (ut bel. gal. I, 25, 52. II, 23. civ. III, 46. 93.)

Ibid. stramentis: Hoc vocabulum praeter hunc locum semel est a Caesare adhibitum bel. gal. VII, 45; sed nostro loco notio subiecta est „Stroh", bel. gal. VII, 45 est vertendum „Packsattel."

Ibid. 3. sicuti parta iam atque explorata victoria: Coniunctio concessiva „sicuti" nusquam alibi in Caesaris scriptis cum participio coniuncta est. (Cf. Procksch l. c. p. 36.)

Ibid. 4. flamma torrerentur: Verbum torrendi esse ἅπαξ λεγόμενον Caes., ex Eicherto perspicimus.

Ibid. conflagrare: ἅπαξ λεγόμ. Caes. (Cf. Eichert ad h. v.) Verba et torrendi et conflagrandi apud ceteros scriptores usitatissima fuisse, satis constat; qui dubitat, hoc percipere potest ex quolibet maiore lexico latino.

Ibid. 5. constipaverant: ἅπαξ λεγόμ. Caes. (Cf. Eichert ad h. v.)

Ibid. recessum: ἅπαξ εἰρημέν. Caes. (Cf. Eichert ad h. v.)

Cap. 44, 2. quinam anteferretur: In pronomine interrogativo „quinam" duabus de causis hic valde offendimus; primum ponendum fuit „quisnam", quia pronomen vice fungitur substantivi, deinde, cum de duobus viris agatur, melius hic fuit pronomen „uter." Nonnullos codices deteriores revera vel pronomen „quisnam" vel „uter" substituisse, ex Frigello et Dübnero perspici potest. Cf. Draeger, loc. cit. 1, p. 103 (ed. II.)

Ibid. anteferretur: Hoc verbum tibi in Caesaris scriptis ter occurret, primum hoc loco, iterum in paragrapho 14 huius capitis, tertium bel. civ. III, 106. Primo quidem et altero loco positum est significatione translata, quam nos vertimus: „vorziehen" (cap. 44, 14: „uter utri virtute anteferendus videretur"); tertio vero loco illud verbum ea significatione usurpatum reperimus, in qua natum est: „vortragen." (Cf. civ. III, 106: „quod fasces anteferrentur.") Ac notandum esse puto, primum atque alterum locum inesse in capite, quo quae a legato gesta sint, describuntur.

Ibid. simultatibus: Hoc vocabulum iterum tibi occurret bel. civ. II, 25, ubi res a Curione legato gestae narrantur.

Ibid. 7. verutum: Etsi Caesar in commentariis plurima arma appellavit, tamen nusquam praeter hunc locum veruti mentionem fecit. (Cf. Eichert ad h. l.) Quamquam hoc vocabulum non est inusitatissimum, cum Forcellini septem exempla ex aliis scriptoribus attulerit.

Ibid. in balteo: ἅπαξ λεγόμ. Caes. (cf. Eichert ad h. v.), quod in aliis scriptoribus non raro invenitur. (Cf. Forcellini ad h. v.)

Ibid. 8. vaginam: ἅπαξ λεγόμ. Caes. (Cf. Eichert ad h. v.)

Ibid. gladium educere: Haec locutio a Caesaris more dicendi discrepat, cum Caesar cum gladio nusquam verbum educendi composuerit, sed verbum stringendi vel destringendi. (Cf. bel. gal. I, 25. 75. VII, 12. bel. civ. I, 46. 47. III, 93.)

Ibid. 14. utrumque versavit: Activum verbi versandi nullo alio loco in Caesaris scriptis invenitur, ab aliis vero scriptoribus saepe est positum. (Cf. Forcellini ad h. v.)

Ibid. neque diiudicare posset, uter utri virtute anteferendus videretur: De pronominibus interrogativis in eodem enunciato disiuncte positis affirmat Draeger (loc. cit. II. Bd. p. 204): „Aus Cäsar kenne ich nur b. g. V, 44 . . . uter utri . . .“

Ibid. anteferrentur: Conferas velim, quae antea ad cap. 44, 2. sub hoc vocabulo disputavi.

Cap. 45, 1. res ad paucitatem defensorum pervenerat: Haec compositio verborum magnopere offendit et a Caesaris usu scribendi valde abhorret. Conferas, quae ad hunc locum Schneider exposuerit, maximeque alteram illius adnotationis partem respicias, ubi disseruit, quomodo Caesar eandem sententiam aliis locis expresserit.

Ibid. 4. in iaculo: Cf. quae ad V, 43, 1. sub hoc vocabulo protuli.

6. Bel. gal. V, c. 48, 8—49, 4.

Cap. 48, 8. dempta (tragula): Verbum demendi praeter hunc locum in Caesaris scriptis frustra investigabis (cf. Eichert ad h. l.); ceteri vero scriptores id triverunt. (Cf. Forcellini et Freund.)

Ibid. 10. fumi incendiorum . . . videbantur: Pluralis numerus „fumi“ offensioni est; neque alio loco a Caesare est positus. (Cf. bel. gal. II, 7. civ. III, 65.)

Cap. 49, 3. caute: Hoc adverbio Caesar hoc uno loco utitur (cf. Eichert ad h. v.); adiectivum „cautus“ nusquam in Caesaris scriptis legitur, quoniam lib. VIII, ubi in capite 23 unicum exemplum invenitur, non a Caesare est scriptus.

7. Bel. gal. V, c. 55—58.

Cap. 55, 2. transitu: Hoc substantivum a Caesare ter est collocatum, hoc loco, bel. gal. VI, 7. VII, 57. Quos tres locos ad unum omnes inveniri in particulis commentariorum, ubi res a Labieno legato gestae latius exponantur, gravissimi sit momenti ac ponderis, praesertim cum Caesar persaepe verbis usus sit transeundi, transgrediendi, aliis eiusdem significationis iisque nomen substantivum „transitus“ evitaverit.

Ibid. 3. hac spe lapsus: Haec verba insolenter esse coniuncta, iam supra ad V, 42, 1. exposui.

Cap. 56, 1. „instigari“ in libris a Caesare ipso scriptis non iterum legitur. (Cf. bel. afr. 54. bel. gal. 8, 31. Vide adnotat. [1]) p. 9.)

Ibid. Aduatucos bellum Romanis parare: Locutio „bellum parare“ crebro a Caesare adhibita ceteris locis absolute posita est ea notione, qua nos dicimus: „sich zum Kriege rüsten.“ (Cf. bel. gal. III, 9, 3. V, 3, 4. VI, 2, 3. VII, 59, 2. civ. II, 18, 6.) Nostro vero loco obiectum „Romanis“ additum est, quod, si in Germanicum vertamus, significationem habeat: „Gegen die Römer.“

Ibid. 2. puberes: Hoc adiectivum nisi bel. civ. II, 13 positum non exstat; sed Mengio auctore hoc caput 13 non a Caesare ipso est scriptum. Quod si dubitas, num Mengi sententia sit probata, satis habeo illud affirmavisse, in hoc capite fusius res perscribi, quae Caesar ipse non gesserit.

Cap. 57, 1. ne . . . dimitteret, cogitabat: In scriptis Caesaris verbum „cogitare“ bis coniunctum invenies cum finali coniunctione, hoc loco et bel. gal. VII, 59, 4. Quo utroque loco res Labieni legati gestas pluribus perscribi, nescio an summi momenti esse putes. Neque facere possum, quin commemorem, utroque loco enunciatum finale verbo „cogitare“ praecedere. (Cf. Draeger l. c. II, p. 243 et Eichert ad h. v.)

Cap. 58, 4. praecipit . . . unum omnes peterent, neu quis prius . . . vulneret, quam . . . viderit: Scripturam „petant“ tantum in interpolatis codicibus inve-

niri, Nipperdey affirmat, qui huic loco explicando in quaestionibus Caesarianis p. 82 sqq. enixe operam dedit. Sed ut taceam de totius huius periodi consecutione temporum, in qua recte offendere mihi videor, id praecipue commemoratum volo, „viderit“ hoc loco offensionis esse; nam Procksch (Die consecutio temporum bei Cäsar. Leipzig. Teubner 1874), qui in consecutionem temporum apud Caesarem diligentissime inquisivit, p. 32 sic exponit: „Selten stehen in Temporalsätzen Conj. Pr. und Pf., nämlich ... Conj. Pf. bei priusquam III, 18, 7. V, 58, 4.“ Hos duos locos esse in iis capitibus, in quibus quae legati Caesaris data occasione in bello effecerint, copiosius exponantur, quin breviter attingam non intermitto.

8. Bel. gal. VI, c. 7 et 8.

Cap. 7, 1. dum haec... geruntur... adoriri parabant: Procksch in libello (consecutio temporum p. 7) demonstrat, coniunctionem „dum“, si in apodosi praesens tempus collocatum reperitur, a Caesare quaterdecies, si perfectum, septies, sin imperfectum, semel esse positam, hoc uno loco, quem modo citavi.

Ibid. 2. iamque... aberant, cum... cognoscunt: Idem Procksch (consecutio p. 6) affirmat, si in priore enunciato imperfectum tempus cum particula „iam“ praecedat, duobus locis (bel. gal. VI, 7, 2. nostro loco, et civ. II, 12, 1.) coniunctionem „cum“ sequi coniunctam cum praesenti tempore. Verum enim vero hunc alterum locum civ. II, 12, 1. in ea parte commentariorum inesse, mihi notandum est, ubi res a Caesaris legato gestae latius narrentur; quam partem non a Caesare esse scriptam, Menge putat.

Ibid. 5. transitu: Cf. quae ad V, 55, 2. sub hoc vocabulo exposui.

Ibid. 6. in dubium devocaturum: Haec locutio alibi in Caesaris scriptis non invenitur, maximeque verbum „devocare“ hoc loco offendit. (Cf. Schneider et Herzog ad h. l.)

Cap. 8, 1. vix... processerat, cum Galli... non dubitant: Procksch subtiliter observavit (consecutio p. 6 sub fine), si in priore enunciato praecedat plusquamperfectum cum particula „vix“, hoc uno loco subsequi „cum temporale“ cum tempore praesenti coniunctum. Simillimum exemplum paulo antea ad VI, 7, 2. tractavimus; nonne vero mirum est, utrumque locum inveniri in commentariis, ubi res uberius describuntur, quibus gerendis Caesar non interfuit, immo interfuit Labienus!

Ibid. 4. illum adesse et haec coram cernere: Legas, quae ad VI, 62, 2. sub „praesentem adesse“ exsecutus sum.

Ibid. 5. aciem dirigi iubet: Cum „acie“ Caesar alibi verbum „dirigere“ non coniungit; dicere solet: „aciem instruere, constituere, instituere.“ Cf. Kraner, qui Schneiderum secutus ad h. l. recte adnotavit: „aciemque dirigi, sonst C. instruere, instituere, constituere aciem.“ (Cf. Schneider ad h. l.)

Ibid. 8. cum his propinqui Indutiomari... comitati eos...: Verbum „comitari“ hoc uno loco a Caesare esse usurpatum, Eichert sub h. v. notavit. Neque omnino praetereundum esse opinor, in verbis eiusdem periodi „cum his“ et „comitati eos“ magnum inesse pleonasmum.[1])

---

[1]) Ad „comitati eos“ Schneider adnotavit: „Hoc ne inutile additamentum putemus, tenendum est, cum aliquo excedere dici eum quoque posse, qui solus eodem tempore, quo ille excedat.“ Similia Kraner dixit. Hoc quidem recte; sed verba „cum his“ supervacanea esse, cum sequantur verba „comitati eos“, mihi apertum videtur.

9. Bel. gal. VI, c. 35—41.

Cap. 35, 6. infra eum locum: Praepositio „infra“ significatione loci nisi hoc loco a Caesare non est adhibita. (Cf. Fischer l. c. I, p. 13.)

Ibid. 8. sectamini praedam: Verbum sectandi nusquam alibi a Caesare esse scriptum, nota ab Eicherto apposita apparet.

Ibid. quibus licet esse fortunatissimis: Cf. quae ad V, 41, 6. sub „licere etc.“ a me disputatum est.

Cap. 36, 2. qui illius patientiam paene obsessionem appellabant: Dictio inusitatissima, quam praeter hunc locum in Caesaris scriptis frustra investiges.

Ibid. siquidem: ἅπαξ λεγόμενον Caesarianum. (Cf. Eichert sub h. v.)

Ibid. segetes: ἅπαξ λεγόμ. Caes. (Cf. Eichert ad h. v.)

Ibid. 3. convaluerant: Hoc quoque verbum praeter hunc locum in Caesaris scriptis non invenies. (Cf. adnotat. [1]) p. 9.)

Ibid. subsederant (si lectionem Nipperdei et Frigelli sequimur), vel subsederat (si praeferimus scripturam Dübneri): Hoc verbum non iterum a Caesare est collocatum. (Cf. Eichert ad h. v.) Kraner huic loco hanc adnotationem adiunxit: „subsederant, zurückgeblieben waren, nur hier bei Caes., sonst resistere (bel. civ. II, 39, 6.), subsistere (bel. civ. II, 41, 3.).“

Cap. 37, 2. qui sub vallo tenderent: Verbum „tendere“ hac significatione praegnanti „Zelte ausspannen, Zelte haben, tentoria, tabernacula tendere, figere, habere, graece σκηνοῦν“ nusquam alibi tibi apud Caesarem occurret. Bel. civ. III, 85, 3. verbo „detendere“, quod respondenti notione positum est „abspannen, abbrechen“, substantivum „tabernacula“ est subiunctum. (Cf. Herzog ad h. l.)

Ibid. 8. plerique novas sibi ex loco religiones fingunt: Hanc dictionem inusitatissimam in iis, quae a Caesare scripta exstant, frustra indages. Unicum exemplum simile invenitur bel. civ. II, 29, 1 („unusquisque enim opiniones fingebat“), ubi fusius res exponuntur, quae non Caesar, sed Curio legatus gessit.

Ibid. 10. perrumpere nituntur: Verbum „niti“ nisi hic cum infinitivo non coniunctum est, sed vel cum coniunctione finali „ut“ (civ. III, 45.), vel cum praepositione „ad“ et Gerundivo (bel. gal. VII, 63.). Ut bel. gal. V, 42, 3. lectio „nitebantur“ fide optimorum codicum confirmata esset, optarem, cum in iis commentariorum partibus, in quibus res a Cicerone legato gestae perscribuntur, bis eandem constructionem repperissem, quae alibi non est adhibita. Sed lectio illa „nitebantur“ V, 42, 3. est nihil nisi Nipperdei coniectura, cum in optimis codicibus legatur „videbantur“, in nonnullis etiam „cogebantur.“ (Cf. Nipperdey et Frigell et quae Schneider in adnotatione critica ad V, 42, 3. disseruit. Quod cum ita sit, Draeger l. c. II, p. 300 alterum locum, b. g. V, 42, falso citavit.)

Cap. 40, 2. cuneo: ἅπαξ εἰρημέν. Caes. (Cf. adnotat. [1]) p. 9.)

Ibid. 6. etiam nunc: Cum hoc loco res temporis perfecti narrentur, pro verbis „etiam nunc“ exspectandum fuit „etiam tunc“ vel „etiam tum.“ (Cf. bel. civ. III, 13. 93.) Praeter hunc locum unum solum exemplum exstat, quo similis usus comprobatur, bel. gal. VII, 62, 6. Neque praetereundum esse existimo, etiam hoc altero loco Caesarem illam dictionem offendentem usurpasse in rebus enarrandis, quae a legato essent gestae.

Ibid. 7. fortissime pugnantes conciderunt: Ad „conciderunt“ Schneider haec adnotavit: „Hoc verbo composito aliis locis scriptor in hominum singularium casu evidentiae causa utitur, velut VII, 25, 2 . . . ibid. 50, 6 . . . Similis, quamquam non eadem, est ratio VII, 62, 4.“ Hunc locum VII, 62, 4. inesse in parte commentariorum, qua Caesar attulit, quae non ipse, sed legatus gessit, quin notem non praetermitto.

10. Bel. gal. VII, c. 57—62.

Cap. 57, 4. transitu: Cf. quod a me de hoc vocabulo sub V, 55, 2. disputatum est.

Cap. 58, 2. confieri: Hoc verbum praeter hunc locum in Caesaris scriptis deest, apud ceteros scriptores rarissime reperitur. (Cf. Kraner, Herzog, Eichert ad h. v.) Cave conicias, pro „confieri" ponendum esse vel „cum fieri", vel „confici", vel „fieri"; quas coniecturas Dübner ad h. v. iam redarguit.

Ibid. 4. eo (in naves) militibus iniectis: Ceteris locis eadem significatione non verbum „inicere", sed „imponere" usurpatum reperies. (Cf. bel. civ. I, 56. III, 2. 14. 24. 62.) Iam Oudendorp ad h. l. haec adnotavit: „Exemplum tamen huius locutionis (scl. milites inicere) quaero." Itaque quod aliquot codices recentiores pro „iniectis" substituerunt „impositis" vel „invectis", non est cur miremur. (Cf. Herzog, Schneider, Nipperdey, Dübner ad h. l.)

Cap. 59, 2. infideles: Exemplum huius adiectivi in iis, quae Caesar ipse scripsit, non exstat. (Vide bel. alex. 43 et cf. adnotat. ¹) p. 9.)

Ibid. 4. ut... reduceret, cogitabat: Vide quae sub V, 57, 1. de hac constructione disserui.

Ibid. acquireret: Hoc verbum a ceteris scriptoribus crebro, a Caesare iterum non adhibitum est. (Vide bel. afr. 47. et cf. adnotat. ¹) p. 9.)

Cap. 60, 3. reliquas proficisci imperat: Verbum „imperare" nisi cum infinitivo passivo cum accus. c. infin. non coniunctum est. (Cf. bel. gal. V, 1, 2. 7, 6. civ. I, 61. III, 42.) Idem docet Madvig in gramm. lat. Bemerkungen etc. p. 78; sed tantum abest, ut Madvig concedat, locum VII, 60, 3 a Caesaris usu dicendi abhorrentem valde offendere, ut interpretandi arte hanc offensionem sic tollere conetur: „cohortes proficisci imperat, indem der Infinitiv eines Deponens wie ein passivischer Infinitiv behandelt ist." Sed praeter hunc unum locum illius generis exemplum in Caesaris scriptis non invenitur. Cf. Nipperdey, Quaestiones Caes. ad bel. gal. VIII, 27, 4. maximeque, quomodo Nipperdey loci bel. civ. III, 42, 2. offensionem omnino sustulerit. Praeterea cf. Schneider et Kraner ad h. l. — Draeger l. c. II, p. 385 et 386 non satis accurate de hoc verbo disputavit, fusius Kühner, Ausführl. lat. Gr. II, 2. p. 810, 4.

Cap. 61, 3. tumultuari: ἅπαξ εἰρημέν. Caes. (Cf. Eichert sub h. v.)

Ibid. 5. parva manu... missa, quae tantum progrediatur, quantum naves processissent, reliquas copias contra Labienum duxerunt: Praes. coni. „progrediatur" auctoritate omnium bonorum codicum tutum esse, ex Nipperdeio et Dübnero percipere potes. Quod cum ita sit, consecutionem temporis huius periodi ab usu dicendi Caesaris magis distare quam Schneider existimet, ex hac Kraneri adnotatione intellegitur: „Nicht sowohl der Wechsel der Tempora progrediatur — processissent ist hier auffallend, als das Praes. progrediatur in Verbindung mit historischen Temporibus (distribuerunt, duxerunt.)" Cf. Kraner ad h. l.

Cap. 62, 2. praesentem adesse: Haec locutio, in qua magnum inesse pleonasmum, luculenter appareat, a ceteris scriptoribus rarissime est usurpata (cf. Terent. Adelph. III, 3, 39.), nusquam alibi reperitur in Caesaris scriptis. Unum vero simillimum dictum leges VI, 8, 4 („eum [vel illum] adesse et hoc coram cernere"). Sed hunc quoque locum reperiri in commentariorum parte, ubi Caesar res a legato gestas pluribus persequitur, summopere respiciendum esse puto. Atque illum legatum utroque loco eundem esse, videlicet Labienum, quanti momenti disputationi meae sit, te non effugiet. (Cf. Herzog, Nipperdey, Dübner ad h. l.)

Ibid. 4. concidissent: Vide quae ad VI, 40, 7. sub h. v. exposui.

Ibid. 5. suis aderat: Hac notione „beistehen, zur Seite stehen“ verbum „adesse“ alibi a Caesare non collocatum est. (Cf. Herzog, Kraner, Schneider, Eichert ad h. v.)

Ibid. 6. „nunc etiam“ vel „etiam nunc“: Legas, quae ad VI, 40, 6. sub h. v. a me scripta sunt.

II.

Omnes commentariorum de bello gallico partes, in quibus res a Caesaris legatis gestae uberius perscriptae sunt, postquam accurate tractavi omniaque, quae a Caesaris genere scribendi abhorrere mihi videntur, notavi, licet interdum erraverim, tamen in partibus commentariorum, quibus res a Caesare ipso gestae enarrantur, quamvis ibi non desint offensiones, multo minores inesse, ei qui commentarios satis diligenter leget, persuasum erit. Equidem, cum magnas commentariorum partes utriusque generis contulissem, in parte, qua Caesar ea narrat quae ipse fecit, fere dimidiam offensionum partem repperisse mihi videor. Sed transeamus ad alteram quaestionis partem, in qua aliis certioribusque documentis id demonstraturus sum, quod mihi proposui.

II.

Iam Menge in quaestione „De auctoribus commentariorum de bello civili, qui Caesaris nomine feruntur", (in libello gym. Vimar. a. 1873.) in magna parte offensionum nixus collegit, de bello civili commentarii alterius capita 1, 4—4 et 8—16 certe non a Caesare, sed scripta esse a Trebonio. Ac viri docti, quamvis Mengi quaestionis viam ac rationem vehementer vituperaverint, fere ad unum omnes sententiam ipsam, nonnulla legatorum scripta litterasque non multum commutata a Caesare commentariis inserta esse, non reppulerunt.[1] Propterea me quoque tot tantisque offensionibus in prima disputationis meae parte allatis sententiam illam fundasse puto. Sed addam graviora documenta.

Summi mihi videntur esse momenti eae partes commentariorum de bello gallico, in quibus res ab iisdem legatis gestae exponuntur; tales vero loci sunt: **I**) V, 38—45, V, 48, 8—49, 4, VI, 35—41, ubi narrata sunt, quibus operibus Cicero legatus perfunctus est; **II**) V, 55—58, VI, 7 et 8, VII, 57—62, ubi res a Labieno legato gestae perscriptae sunt. Quibus in locis repperi idonea exempla, quibus sententia mea maxime confirmetur. Et in locis, quibus res a Cicerone et, quibus res a Labieno gestae describuntur, exstant bis posita vocabula vel constructiones verborum, quae nusquam alibi in Caesaris scriptis inveniuntur. Sed singulis offensionibus in prima quaestionis meae parte deinceps enumeratis accurateque tractatis, hic locos, quibus de illis vocabulis ac constructionibus in prima parte iam disputavi, tantummodo congerere me opus est.

I. Ad res a Cicerone gestas:

1) Cf. quae dixi sub V, 41, 6. ad „licere illis incolumibus." 2) Cf. quae sub V, 43, 1. ad „iacula" disserui. 3) Cf. sub V, 44, 2. ad „anteferretur" a me dicta.

II. Ad res a Labieno gestas:

1) Cf. quae sub V, 55, 2 ad „transitu" disputavi. 2) Cf. quae sub V, 57, 1. ad „ne .. dimitteret, cogitabat" dixi. 3) Cf. quae sub VI, 8, 1. ad „vix ... processerat" exposui. 4) Cf. quae verba feci sub VII, 62, 2. ad „praesentem adesse."

Praeterea disserui sub VI, 40, 6. ad „etiam nunc", haec verba bis insolenter posita esse pro „etiam tunc" vel „etiam tum", illo loco et VII, 62, 6, quibus duobus locis in commentariis narrantur, quae Caesaris legati (Cicero et Labienus) gesserunt. Hic quoque haud scio an futurum sit, ut aliquanto expediatur, quomodo dictum „etiam nunc", quod duobus illis locis a Caesaris optimique cuiusque scriptoris genere dicendi valde distat, ortum atque Caesaris commentariis intextum sit. Legatos enim, qui per litteras paulo post res gestas Caesari rettulerint, has saepe sibi praesentes proposuisse et propterea interdum praesenti tempore usos scripsisse, mihi verisimillimum videtur. Qua ratione fieri potuisse, ut Caesar in rebus gestis legatorum copiosius perscribendis una cum aliis etiam dictum illud „etiam nunc" in commentarios insereret, quis est, qui neget?

---

[1] Cf. Hartz in Philol. Anzeiger VI, p. 202—207: „Der Gedanke des Verfassers (Menge) . ., Cäsar habe hier den Bericht eines Legaten ohne wesentliche Veränderung aufgenommen, ist unseres Wissens neu und an sich keineswegs unwahrscheinlich." Arnold Hug in libell. de stud. antiq. I. p. 1169—72. R. Müller in comm. gym. (Berol.) 1875. Eussner in comm. gym. Bavar. X. p. 205—213.

Sed tres illae partes commentariorum, in quibus opera Labieni, praestantissimi Caesaris legati, depinguntur, etiam aliis de causis multum valent ad sententiam nostram comprobandam. Ibi enim aliquot res eadem via ac ratione exponuntur, maximeque mireris, quod nonnusquam consensus non solum factorum, verum etiam verborum plane reperitur. Quod ut dilucide probem, primum afferam duos locos, in quibus verba produntur, quae Labienus brevi ante pugnam apud milites fecit:

VI, 8, 4: praestate eandem nobis ducibus virtutem, quam s a e p e n u m e r o imperatori praestitistis atque illum a d e s s e et h a e c c o r a m c e r n e r e e x i s t i m a t e.	VII, 62, 2: Labienus milites adhortatus, ut suae pristinae virtutis . . retinerent memoriam atque ipsum Caesarem, cuius ductu s a e p e n u m e r o hostes superassent, p r a e s e n t e m a d e s s e, e x i s t i m a r e n t.

Neque praetereundum esse puto, in multis quae a Caesare commemoratae sunt orationibus a legatis apud milites habitis ne minima quidem vestigia eiusdem sententiae exstare, quae his duobus locis, quibus opera Labieni describuntur, etiam iisdem verbis est expressa. (Cf. bel. gal. III, 5, 3. 19, 1. 24, 5. 26, 1. V, 33, 2. 35, 8. bel. civ. II, 32. 43, 1.)

Etiam in iis, quae duobus illis locis, quos modo attuli, orationem a Labieno habitam subsequuntur, res fere eodem connexu eademque ratione nec minus iisdem verbis narrantur. Qui consensus ne tertio quidem loco, quo Labieni facta describuntur, prorsus deest.

a) Bel. gal. VI, 8, 6: p r i m o c o n c u r s u i n f u g a m c o n i e c t i.	Bel. gal. VII, 62, 3: p r i m o c o n c u r s u ab dextro cornu . . . i n f u g a m c o n i c i u n t u r.

Cf. bel. gal. V, 58, 4: i n f u g a m c o n i e c t i s.

b) Deinde duobus primis locis (VI, 8, 6 et VII, 62, 9) mentio fit silvarum, quibus fugientes tegantur. Neque sine momento esse opinor, altero loco (VII, 62, 9) de silvis dici, quamquam in illis regionibus silvae non erant.

VI, 8, 6: proximas silvas petierunt.	VII, 62, 9: quos non silvae montesque texerunt.
c) VI, 8, 7: Quos Labienus e q u i t a t u c o n s e c t a t u s magno n u m e r o i n t e r f e c t o . . .	VII, 62, 9: ab e q u i t a t u s u n t i n t e r f e c t i (hostes).

Cf. V, 58, 6: e q u i t e s, quos possunt, c o n s e c t a n t u r atque occidunt.

d) VI, 8, 7: . . . civitatem recepit. Nam Germani, qui auxilio veniebant, percepta Treverorum fuga, sese domum receperunt.	V, 58, 7: . . . omnes . . , quae convenerant, copiae discedunt, pauloque habuit post id factum Caesar quietiorem Galliam.

Quibus ex rebus congruenter a Caesare narratis, quas sub a) usque ad d) enumeravi, nonnullae quidem saepius in Caesaris commentariis passim reperiuntur, sed cunctas eodem connexu eodemque consensu alibi in Caesaris scriptis non invenies.

Praeterea habemus, quod miremur, in his tribus commentariorum partibus, quibus victoriae a Labieno reportatae fuse exponantur, omnino taceri de vicis aedificiisque incensis, de agris vastatis, de frumentis succisis, de praeda facta, de armis obsidibusque acceptis. Quibus de rebus Caesarem saepissime locutum esse, iis locis, quos in tertio usque ad sextum commentariorum librum inveni, probare mihi liceat. Bel. gal. III, 6, 4. 16, 4. 23, 1. 27, 1. 29, 3. IV, 19, 1. 27, 1. 35, 3. 38, 3 et 4. V, 1, 8. 19, 3. 20, 4. 22, 3. 48, 10. 51, 5. VI, 3, 2. 6, 1. 6, 3. 33, 3. 34, 8. 43, 1—3.

Haec omnia argumenta, quae attuli, si animo et cogitatione complecteris, Caesarem cum in rebus quas Cicero, tum quas Labienus gesserit, enarrandis non ubivis suo genere dicendi usum esse, sed permulta ex scriptis quos habuit fontibus hausisse ac saepissime ad verbum transscripsisse concedes. Sic apparet, qui factum sit, ut tribus in commentariorum partibus, quibus res a Labieno gestae

describerentur, tam magnus et sententiarum et verborum reperiretur consensus; auctorem enim, ex cuius scriptis Caesar haec deprompserit, easdem res eadem ratione neque raro iisdem verbis descripsisse puto.

Illos fontes a Cicerone ac Labieno legatis ipsis scriptos esse, mihi verisimillimum videtur; iam Caesar ipse crebro testatur, legatos litteras sibi misisse. (Cf. bel. gal. V, 40, 1 45, 2. 49, 3 etc.)[1] Fere eandem esse rationem componendi in iis commentariorum partibus conici licet, quibus ceterorum legatorum facta narrantur, praesertim cum in quaestione mea antea iam accuratius demonstraverim, quam multa ibi a Caesaris usu dicendi abhorreant.

---

[1]) Iam Bernhardy et Nipperdey, nullo quidem argumento allato, sententiam protulerunt, Caesarem in commentariis componendis adiutum esse iis, quae legati perscripsissent. Cf. Bernhardy, Röm. Literat. [4] § 103 adnot. 491. Nipperdey l. c. p. 7.